

mes imaginis filii sui, non solum quod ad afflictionum
& crucis societatem attinet, sed multò magis ventu-
ræ gloriæ & hæreditatis cœlestis ratione, cùm co-
hæredes sint & fratres Christi: unde Apostolus illico
subjicit, Deum hos, quos ita præfinivit, vocâsse, ju-
stificâsse, atq; glorificâsse, sive vocare, ac justificare,
& ad gloriam perducere decrevisse, qvippe cùm hi
gradus sint, quibus imago filii Dei introducitur in
eos, quos conformes illi esse Deus præfinivit. Deni-
q; cùm Joh. I. Filii in carne apparitio describitur, e-
umq; cùm in propria veniret, à suis non receptum
esse memoratur, v. 12. additur; *Quotquot verò re-
ceperunt eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri, i. e.
adoptari in filios Dei, credentibus in nomen ejus, qui
non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, sed ex
Deo geniti sunt: ut vel hinc, quam memoratu digna
inter beneficia Dei erga nos homines adoptio sit,
quamq; jucundum de eâ meditari, evidenter pareat.*

§. III.

Antiquō jure civium Romanorum adoptionem in
usu fuisse, notissimum est; docetq; Antonius Au-
gustinus libro de Legibus, qui Tomo II. Thesauri
Antiqvit. Rom. à Johanne Georgio Grævio insert⁹
est, pag. 1207. *Veteres præter duo illa adoptionis ge-
nera, quæ in vulgus nota sunt: cùm quis apud popu-*